

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

Schema “De Ecclesia in mundo”

Interventi di Mons. Giocondo M. Grotti
e di Mons. Bernardo M. Cazzaro

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS V
CONGREGATIONES GENERALES CIII-CXI



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXV

15

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Prooemium, pag. 5, linn. 2-3: « gaudium... afflictorum ». Mihi videtur bonum non esse hoc modo rem proponere propter evidentiam contradictionis in terminis.

Pag. 5, lin. 5: « populi innumeri, creati a Deo ». Deus non creavit populum, sed, ut ita dicam, radicem populi innumeri!

Pag. 5, lin. 6: « ut excolamus eam ». Nescio an hoc modo bene repraesentetur idea Dei Creantis et simul via Patrum Conciliarium! Meo iudicio, haec novissima verba auferenda essent.

Pag. 5, lin. 14: « Tempus enim ». Non video quocum connectitur haec periodus ut iustificetur particula « enim » quae connectiva vel demonstrativa, natura sua, est.

Pag. 5, linn. 14-15: « Tempus signum et vox est ». Nescio quo sensu dicatur tempus esse *signum* praesentiae vel absentiae (!) Dei; certo certius, sunt me maturiores qui intelligant, sed rudiores mihi videntur plures esse, et quid ipsi intelligent?...

Interim, quod tempus sit *vox* bene intelligo, nam omne verbum, et tempus proinde, est vox; sed aliter intelligebant schematis Paratores; insuper intelligere possum vox praesentis (16), sed absentis (16), nullo modo!

Modus iste loquendi videtur diaristis (« giornalisti ») consonus, non philosophis, non theologis, non conciliaribus Patribus!

Pag. 5, lin. 15: « pro Ecclesia et pro hominibus ». Divisio non est adaequata quia Ecclesia ex hominibus componitur! Aliter dicendum esset si homines determinarentur aliquo modo per aliquam restrictionem, ita v. g. « pro hominibus bonae voluntatis » vel aliquid simile.

Pag. 5, lin. 15: « secumfert ». Verbum hoc, sic absolute positum, scholastice, dicerem naturam rei indicare, at hic contraria indicantur elementa et nescio quomodo componi possint!

Pag. 5, lin. 16: « praesentiam... absentiam ». Quid ergo secumfert tempus, Dei praesentiam vel absentiam?...

Pag. 5, lin. 18: « in voce temporis ». Recole quod superius dixi quando de tempore, ut voce, dixi quae dicenda videbantur!

Pag. 5, lin. 20: « adumbrent ». Nimis debile videtur verbum hoc « adumbrare », praesertim si verba considerantur quae praecedent, « praesentes opportunitates... concretum mandatum... ».

Pag. 5, lin. 25: « qui hominibus etc. ». Haec verba ad consilium Aeterni Patris recurrentes, videntur forsitan a quibusdam uti conamen Ecclesiae omnia baptizandi, ut ita dicam; non ita si res aliter proposita fuisset, scilicet si Aeterni Patris consilium, ab initio... usque ad consummandam unitatem in caelo, per diversos gradus diversasque formas, propositum fuisset. Deus enim ideam habuit in initio, quam perfecit in tempore plenitudine vitae et mediorum.

Pag. 5, lin. 27: « genus humanum ». Verba haec pessimismus gignunt et non sunt realia, nam alio in loco, loquitur de viribus validis. Si examen est faciendum, fiat examen nostrae societatis quae christiana est nomine et non re; quod mundus non sit Dei, non est novitas, sed ad hoc misit nos Deus, ut mundus per nos suum finem altissimum attingat; oportet proinde potius quam mundum describere corruptum, videre quantum nomen chri-

stianum sit implicatum in hac corruptione et quomodo faciendum ut *a*) sal (christiani) sit sal, et *b*) mundum condiat!

Pag. 6, lin. 2: « quae fructus sit ». Meo iudicio dicendum esset « quae fructus est ».

Pag. 6, lin. 2: « fructus... caritatis et iustitiae veritatis et libertatis ». Cum pax non sit fructus tantummodo harum virtutum, bonum esset inter « est » et « caritatis » interponere aliquid, ita v. g. « fructus est virtutum, praesertim caritatis et iustitiae... ».

Pag. 6, linn. 9-11: S. Synodus in variis eventibus « totius generis hominum operationem Divini Spiritus dignoscit ». Nescio quomodo haec et quae sequuntur usque ad lineam 15 componi possint cum iis quae dicebantur in lin. 27 pag. 5: hic est Spiritus Sanctus qui dirigit, at genus humanum quantum abest ab itinere suo (pag. 5, lin. 27)! De cetero, in nostro Concilio, non videtur Spiritus Sanctus in bona luce poni; nam, amplius non docet (cf. observationes circa schema *de revelatione*), amplius non ducit; quid ergo facit?... Ad vitam privatam, ad intra scilicet, se contulit?...

Conclusio: supprimatur, vel alio modo dicatur, quod dicitur a lin. 9 usque ad 15.

Pag. 6, lin. 14: « in praesenti civili cultu ». Quid significant verba haec?... Estne cultus positivisticus a Compté et asseclis eius propositus?... Verba loquamur clariora, magis definita et omnibus perspicua!

Pag. 6, lin. 19: « sed exoptamus ». In lin. 17 dicebatur « S. Synodus »; cur hic transitum fit ad aliud subiectum?

Pag. 6, lin. 19: « cum unus nobis sit labor ». Haec propositio latius patet quam realitas, unde corrigenda; nam etsi plura, non omnia habemus in commune cum separatis Fratribus!

Pag. 6, lin. 20: « communitatum Ecclesiae ». Forsan rationes oecumenicae nos suadent ad usum vocabuli « Ecclesia » etiam quando de separatis loquitur; at Ecclesia est una, quia vera Ecclesia una est, scil. catholica; ceterae cum sint falsae, non sunt Ecclesiae, uti aurum falsum non est aurum!

Pag. 6, lin. 22: « paris sollicitudinis ». Estne aequum et conveniens promovere iudicium de hac re et ponere aequalitatem inter nos et separatos?...

Pag. 6, lin. 28: « voluntate cooperandi ». Foedus cum omnibus, mihi non placet, quia ad hoc non misit nos Dominus, sed ut sal et fermentum ceteros excitare debemus; tamen, transeat si haec est generalis convocatio hominum bonae voluntatis; quod nullo modo intendo, nec intelligere possum, est reductio muneris Ecclesiae ad cooperationem. Nos ceteros vocamus ad cooperationem, et non ipsi nos!

Pag. 6, n. 4: numerus hic deberet alio in modo proponi, praesertim si attenditur quod in priori numero asseritur (« illis alloquimur qui, Christo nondum agnito... » lin. 23). Cf. etiam quae de modo proponendi (« impostazione ») dixi in aula conciliari, seu de motu ascensionali et non horizontali humanae historiae!

Pag. 7, lin. 1: « in omnibus ». Sic esse deberet, sed cur postea Ecclesia

dicitur nihil habere nihilque scire circa aliqua?... Forsan praeter « omnia » datur « aliquid »?...

Pag. 7, lin. 5: « Christum agat ». Si sermo noster ad non-credentes dirigitur (cf. dicta in n. 3 schematis) quid de hac paulina expressione intelligent?...

Pag. 7, lin. 5: « implicatas ». Verbum non bene sonat quamvis vera dicat, propter sensum faciliter distracturum ad peiora; dicatur « necessarias » vel aliquid simile!

Pag. 7, lin. 7: « Sed etiam ». Bonum commune hic videtur esse aliquid superadditivum (« non solum... sed etiam »); at Ecclesia, natura et actione sua, confert ad bonum commune. Auctores, forsitan, dicere volebant quod Ecclesia non tantum cogitat de caelesti sed et de terrestri civitate; tamen clariori modo hoc esset dicendum et semper in luce ponendum esset quod scholastici obiectum formale vocant; nam etsi in materialibus intenta, Ecclesia supernaturalia intendit!

Pag. 8, lin. 2: « de civitate ». Quid, hoc verbo, significatur?... Politica?...

Pag. 8; lin. 12: « ad altiorem dignitatem ». Ad altiorem vel « ad maximam »?...

Pag. 8, lin. 13: « Christum secuta » vel « Christum agens »? (cf. pag. 7, lin. 5).

Pag. 9, lin. 21: « Plena... hominum vocatio » non ita videtur describi in catechismo et in ipso schemate *de Ecclesia*. Vocatio christiana duplex est, prior terrestris, caelestis altera, et prior ad alteram ordinatur!

Pag. 9, lin. 27: « vita non solum privata sed etiam sociali... manifestent ». Loco « sociali » forsitan ponenda esset vox « publica » et loco « privata » vox « particulari »; et cum natura seu vita publica sit manifesta, forsitan ordo esset immutandus, ita, « vita non solum publica sed etiam particulari ».

Pag. 9, lin. 30: prior citatio Matthaei non venit ad rem, ibi enim non de Mammonis idolatria loquitur.

Pag. 10, linn. 3-5: « Natura humana... evolutio ». Hic de evolutionibus certo certius non loquitur, tamen, sine ullo infenso labore, ad illum distrahi possunt haec verba quae mutari vel auferri debent!

Pag. 10, n. 8: multum loquitur in hoc numero de peccato, at oblivisci non possumus quod sermo noster et ad non christianos dirigitur: quid intelligent?... et quid dicent quando legent: « homo... nec iniustitiam... evincet nisi vestigia premens Christi »? Certe his quos non sunt christiani offendimus, et ipsi possunt dicere de christianis quod hoc non est verum quia christiani sunt saepissime ut ipsi, et aliquando etiam peiores!

Pag. 10, lin. 23: « a Deo... resuscitatus ». Mihi non videtur bene exprimi natura Resurrectionis Christi per haec verba: Christus enim resurrexit, non resuscitatus fuit a Deo!

Pag. 10, lin. 34: « manda ». Neologismus exaticus, auferatur!

Pag. 10, linn. 33-36: ut oppositio materialismum inter et angelismum

clarius pateat, debemus verborum abstrusum auferre et verba verbis, conceptum conceptui opponere.

Pag. 10, lin. 40: « christiani versantur in mundo... ad mundi aedificationem ». Hoc iam dictum est saltem ter et iterum atque iterum dicitur: repetitiones textum aggravant!

Pag. 11, linn. 1-3: « In mundo exercent amorem Dei... ». Non intelligo contradictiones nostri textus: aliquando homines depravati, aliquando sancti dicuntur. Evidenter hoc non potest schema nostrum commendare!

Quod si est verum quod in linn. 1-3 asseritur, ad quid paterna admonitio quae sequitur usque ad lin. 13?...

Pag. 11, lin. 14: « perficitur homo cognitione... ». Hic non apparent media supernaturalia quae procul dubio etiam ad progressum materiale inserviunt! Immo, de istis loqui debemus uti Ecclesiae propriis; secus et Ecclesia evanescit in naturalibus sat discusso!

Pag. 13, lin. 1: « Ecclesia, quae versatur in hoc mundo » (cf. *Io.* 17, 16). Hoc modo non proponitur Ecclesia in suo schemate proprio; terrestris, seu militans Ecclesia non est tota Ecclesia, sed Ecclesiae pars tantummodo!

Citatio Ioannis (17, 16) hic non bene applicatur quia de Ecclesia Christus non loquebatur sed de Apostolis et de quibusdam discipulis tantummodo.

Pag. 12, lin. 2: « etsi non est ». Dicatur « etsi non sit » latinitatis causa!

Pag. 12, lin. 4: « Haec... relatio est fecunda pro Ecclesia et pro mundo ». Cum agatur de activitate Ecclesiae, forsitan melius esset in primis obiectum istius activitatis in luce ponere, denique ipsam Ecclesiam! Ita dicerem: « est fecunda pro mundo et etiam pro ipsa Ecclesia ».

Pag. 12, lin. 6: « Multae difficultates etc. ». Res tali modo praesentatur, ut difficultas semper videtur surgere ex alia, non e nostra parte et nescio an hoc sit verum; et si verum opportunum est hoc ipsum declarare?...

Pag. 12, linn. 8-10: « Qua in re... ». Pluries legi has lineas et sensum non intellexi: durus certe ego sum, at illae clarae non sunt!

Si Ecclesia quae prospiciebat et prospicit, incomprehensiones de quibus supra, in linn. 6-7, Ecclesiae debentur! Et possumus dicere Ecclesiam non intelligere quomodo « missionem... a Domino acceptam » interpretari debeat?...

Pag. 12, lin. 19: « praescripsit ». Dicatur: « praescripserat » ut consecutio temporum servetur!

Pag. 12, lin. 27: « qui mortem... a mortuis ». Ad quid haec pinguedo inutilis et onerosa?... Inutilis quia pluries iam dictum est Christum mortuum esse et resurrexisse! Onerosa quia propter ornamenta non apparent elementa essentialia propositionis!

Pag. 12, lin. 28: « eadem innituntur potentia Dei ». Forsitan, aliquis malitiose, dicere posset parum posse ista Dei potentia et hoc ipsum probare facile esse ipsis verbis Concilii Vat. II (cf. quae habentur in pag. 5, de, ut ita

dicam, perditione generali et quae dixi de Spiritu Sancto in animadversione ad pag. 6, linn. 9-11).

Pag. 13, lin. 3: « in privilegiis etc. ». Hoc nec bonum nec oecumenicum videtur; non bonum quia inaniter exquirerentur quod concedere non possum; non oecumenicum quia animum illorum qui potestate pollent non bene disponuntur erga nos et Ecclesiam, et non bene intelligerent verba quae sequuntur: « Certe sanam cooperationem etc. » (lin. 7).

Pag. 13, linn. 8-24: Permultum hic disseritur de libertate religiosa, ac si de ea alibi Concilium non locutus fuisset; meo iudicio, nec proportio datur materialis inter declarationem de libertate religiosa et has lineas; tamen haec tractatio pulchrior mihi videtur quam illa!

Pag. 13, lin. 35: « Relinquent mundana dirimenda negotia ». Hoc nec bonum, nec verum mihi videtur; immo contradictorium esse censeo!

a) Non est bonum et non est verum, quia Religio totum hominem informat, et nihil haberi potest totaliter mundanum vel profanum;

b) est contradictorium iis quae dicuntur in lin. 23 ad pag. 9, ubi asseritur: « Omnia vere sunt nostra »! (cf. etiam pag. 8, linn. 19-25, et pag. 14, lin. 6).

Pag. 13, lin. 36: « Suo sacro munere... ». Bonum esset, perspicuitatis causa, iterare subiectum quod oblitum derelinquitur in lin. 29.

Pag. 13, lin. 40: « Quibus illuminandis ». Haec duo verba non bene collocata iuxta grammaticam, mihi videntur; nec video cur debeant ab antecedentibus separari!

Pag. 14, lin. 2: « in negotiis temporalibus curandis minus in dies implentur ». Res pulchra, at quomodo provisum est ut hoc possibile evadat?... Simplex exhortatio?... Res ita manebunt si aliquid practicum non determinatur!

Et res gravior evadit ex eo quod inter « pastores » de quibus est sermo censentur fere omnes episcopi et fere omnes sacerdotes: et ipsi non sunt angeli!... et ipsi rebus indigent plurimis!... Solutio quam propono practica, haec est:

a) in unaquaque natione, episcopi, provinciales patres, provinciales matres, paroeciae in quantum possunt, efforment corbonam (cassa) seu unicum capitale;

b) haec corbona tradatur competentibus et probis viribus qui administrarent;

c) efformantes corbonam beneficia recipient in unoquoque semestre, sine ulla implicatione in materialibus et poterunt « orationi et verbi Dei praedicationi » instanter esse.

Bonum esset pariter, aliquid statuere pro Missionariis qui debent non tantum egenis frangere panem sed et ipsum panem quaerere inter civiles!

Pag. 14, lin. 15: « Simplici animo ». Pauperrima videtur haec propositio: nulla mater de filii sui malis loquentes audit « simplici animo »! Et Ecclesia est mater!

Pag. 14, lin. 15: « membrorum »: dicatur « filiorum »!

Pag. 14, linn. 15-20: Haec linea fortasse melius aptarentur ubi loquitur de realitate humana corpore et anima constante; melius enim intelligeretur relatio, nam et ipsa Ecclesia, supernaturalis societas, constat hominibus!

Pag. 14, linn. 21-30: Pulchra, etsi non semper pulchre, praesertim propter repetitionem vocis. « Verbum », tamen, iam dictum est!

Pag. 14, linn. 31-34: Melius esset, meo humili iudicio, omnia haec declarare non per modum speculativum, scil. quasi principium enuntiando, sed per modum practicum, i. e. per descriptionem facti.

Pag. 14, lin. 35: Iterum affirmatur quod iam dictum est in prioribus paginis!

Pag. 15, lin. 7: « versus perfectam caritatis iustitiam ». Certo rudiores, immo fideles nostri communes parum intelligere debent de perfecta iustitia caritatis! Evidenter, « non omnibus datum est... » et mihi etiam datum non fuit!

Hic, in lin. 7, loquitur de iustitia caritatis, et in lin. 14 de caritate in iustitia dum in lin. 15 de iustitia in caritate: iustitia et caritas suntne termini aequipollentes?...

Pag. 15, lin. 10: « tum id, quod ab omnibus urgeri potest ». Quid est hoc « id »?... Pronomen est terminus syncategorematicus, indiget saltem relatione alterius termini ut aliquid indicare possit, secus nihil dicit!

Pag. 15, linn. 3-24: Etsi pulchra in hoc spatio inveniantur, tamen idea centralis non est perspicua et onerata videtur compluribus elementis uti mulier quaedam, pulchra sed fere mortua sub onere ornamentorum!

Pag. 15, linn. 25-36: Hic continetur gravissima iniuria magisterio et magistris Ecclesiae et imponitur fidelibus onus quod supportare nequeunt!

Pag. 15, lin. 37: « Dissentiones... an recte statuerint ». De quibus fit sermo?... de fidelibus vel de pastoribus?... Res non est liquida et certo certius non bene proponitur!

Pag. 15, linn. 37-41: Verba Augustini clariora et pulchriora sunt: cur non ad litteram hic transferuntur?...

Pag. 16, lin. 4: « quorum etc. ». Latinitati prospiciatur, nam difficile est intelligere sensum propositionis sic constructae « quorum fecunditatem sanctorum hominum vitae produunt »!

Pag. 17, lin. 5: « generosa cooperatione ». Non dicitur quocum cooperari debeant fideles!

Pag. 17, lin. 17: « novae possibilitates novaque pericula sunt tot causae »... Non bene intelligo cur *ad extra* repetenda sit necessitas actionis Ecclesiae, et non *ad intra*! Et in pag. 6, lin. 11 de Spiritu Sancto dicitur quod Ipse « dirigit... renovat... ducit »!

Pag. 17, lin. 21: « monemus ». In lin. 3 huius paginae legitur « S. Synodus... instruit »; cur hic dicitur « monemus »... Haec mutatio subiecti non bene sonat!

Pag. 17, lin. 21: « a caritate et iustitia ». Hucusque locuti sumus tantummodo de caritate et erat veluti praemissa; cur nunc, in conclusione, et de iustitia loquitur?... Latius conclusio patet quam praemissa!

Pag. 17, lin. 22: « a divina Providentia ». Praeponatur « veluti » ut melius intelligatur quae antecedent, vel, forsitan melius dicatur: « officia caritatis (et iustitiae), hodiernis temporibus specialiter imposita, a Divina Providentia libenter accipiant ».

Et cum propositio haec sit completa bonum est unicum punctum derelinquere et alterum auferre; nam et propositiones sequentes sunt, forsitan prima excepta, ex structura sua, independentes!

Pag. 17, lin. 31: « christiani ». Meminisse iuvat quod terminus « christianus », natura sua, aequivocus est.

Pag. 18, lin. 13: « Germanus ». Fides et scientia suntne sorores?... Fides a Deo, scientia ab hominibus! Nec celeberrimum textum paulinum cito ubi dicitur « sapientia huius mundi »... Nisi intelligatur per « germanus spiritus fidei » fides rationalistarum germanorum, auferatur haec vox « germanus ».

Pag. 18, lin. 39: « sed etiam ipsum amorem ». Iterum *divisio* (bonorum) non est adaequata, quia materiale et spirituale dividunt ens; ac proinde et amor in hac divisione includitur!

Pag. 19, linn. 2-3: « pauperum evangelizatis... praeclarum signum regni Dei ». Citatio Matthaei non bene applicatur, quia si honesti et veraces esse debemus dicere deberemus « unus e praeclaris signis » et non « signum praeclarum » ac si unicum esset.

De cetero, rationes non video, iterum atque iterum hoc affirmandi quando Christus, *pro omnibus passus, ad omnes nos misit et non ad pauperes tantum!* Daturne aliqua demagogia conciliaris ut datur demagogia politica?...

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN IV
PERIODUS QUARTA

PARS II
CONGREGATIONES GENERALES CXXXIII-CXXXVII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII

EXC.MUS P. D. BERNARDUS M. CAZZARO
Episcopus tit. Pyrgensis, vic. ap. Aysenensis

Ad multa eaque perpulchra, quae in aula conciliari iam dicta sunt in disceptatione super constitutionem pastoralement *de Ecclesia in mundo huius temporis*, liceat mihi, etsi brevissime, aliqua addere:

1. In n. 8 inter varias discrepantias, quibus homo hodie afficitur, enumerari merito potest etiam quae inter singulos cives et statum oritur, eo quod saepe nec singulorum hominum, nec familiarum a publica auctoritate iura agnoscuntur ac in tuto servantur.

2. In n. 11 maiore cum evidentia illustrentur tria elementa fundamentalia: *a)* creatio hominis a parte Dei; *b)* finis huius creationis; *c)* peccatum quod assecutionem huius altissimi finis impedit. Si haec omnia leviter tantum tanguntur, totus textus gravibus lacunis laborat, quia non bene intelliguntur verae causae remotae totius « problematicae » de quibus in tota constitutione pastoralis.

39

EXC.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Episcopus tit. Thunigabensis, prael. Acrensis et Puruensis

Pag. 5, lin. 14: « finem nonnisi sub umbris clarescentem »: dictio sat obscura.

Lin. 26: « sub signo Maligni »: dictio vaga et debilis. Adest certe allusio ad *1 Io.* 5, 19. Textus autem latine ita sonat: « mundus totus in maligno positus est »; graece autem: « ...ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται ».

Concilium Trid., sess. VI, cap. 1 (noviss. DENZ., 1521) habet: « sub potestate diaboli ». Et quidem recte, nam etiam Malignus est dominus, habens potestatem, cum Dominus Iesus dixerit nos non debere *duobus* dominis servire. His consideratis ergo scribi posset: vel « sub potestate » vel forsitan melius « sub servitute Maligni ».

Linn. 26-27: « hoc tempore »: est ambiguum, quia intelligi posset de solo praesenti nostrorum annorum tempore. Fortasse scribi posset: « omni tempore » vel quid aptius.

Lin. 27: « donec in fine et ipse (mundus) per fidem salvetur ». Ut patet ex notula 2, appellatio seu allusio fit ad *Io.* 3, 17-18, ubi inspirate dicitur Christum missum fuisse ut salvetur mundus per Ipsum, certe tamen quoad ea familiae humanae membra quae creditura erunt; quae vero credere renuent, condemnabuntur, ut ex notissimis aliis evangelicis locis patet. Econtra e constitutionis textu ansa interpretationi praebetur iuxta quam « totus » mundus in fine per fidem salvabitur: quod aequivaleret negationi inferni seu duarum mundi categoriarum, quas Dominus iudicabit (cf. *Mt.* 25, 31-46).

Pag. 6, lin. 5: « erga hominum familiam ». Quia populus Dei est et ipse portio, et quidem electa, hominum familiae, fortasse inseri deberet verbumculum et dici: « erga *omnium* hominum familiam », vel quid simile.

Lin. 7: « ex Evangelio ». Fortasse largius accuratiusque dici posset: « ex Divina Revelatione » sicque nihil determinaretur at et nihil excluderetur, sive Antiqui sive Novi Testamenti, sive traditionis divino-apostolicae.

Lin. 13: « Episcopi, in communionem cum Summo Pontifice ». Fortasse melius est ut simpliciter dicatur: « Vaticana haec synodus » vel quid simile, ad vitandam falsam interpretationem, iuxta quam Episcopi (qui certe omnes sunt in communionem caritatis et oboedientiae cum Papa) omnia decernunt, Summo Pontifice in suo palatio degente, nesciente et non agente. Econtra, ut patet etiam ex notulis, ipse Paulus VI haud pauca contulit.

Lin. 18: « ducente Spiritu Sancto ». Iam supra, linn. 8-9, modus iste dicendi usurpatus est. Forsitan, elegantiae causa, deberet in alium commutari: e. g. « Paracliti Spiritus ductu » vel quid simile.

Linn. 23-24: « Idonei auctores ». Modus iste loquendi in Conciliorum textibus vel est parum usitatus vel inusitatus omnino, ideoque ponderandum est an debeat in alium converti. Propositione conveniente aptata, scribi forsitan posset: « ipsis aientibus in re peritis », vel quid simile.

N. 10. Adsunt quidam dicendi modi qui vel perspicuitate carere videntur vel saltem elegantia: « auxilium decretorium »; « eos e contrario officio circa ea »; « suffundata bona »; « bona ... cum fonte suo divino coniungere intendit ».

Quoad ultimum, fortasse melius esset dicere: « bona ... et quomodo cum fonte suo divino coniuncta sint ostendere intendit ». *Ratio*: nam omnia bona iam sunt cum fonte suo divino coniuncta: unde nil praestandum manet nisi ut *ostendatur* ea esse taliter coniuncta.

N. 11. a) « Quid est homo? » Dedecet fortasse documentum conciliare

se exprimere hoc modo. Hoc sapit potius sermonem oratorium. Etiam priores formae Bullae dogm. de Immaculata Conceptione ita oratorie se exprimebant, at stylus ille derelictus est praecise quia nonnulli episcopi animadverterunt eum non congruere solemnitati tanti documenti.

b) « libera », in lin. 15, certe pro « libere ».

c) « ad stirpem humanam propagandam instituta ». Idem geneleos locus qui invocatur, si coniungatur cum locis cap. 2 et 3, pandit mulierem a Deo excitatam esse ut « sociam » et « adiutorium » viri: et textus non dicit talem societatem et adiutorium ordinari tantum ad generationem. Ideoque locus documenti forsitan ditior reddi deberet per additionem huius societatis et adiutorii, quin simpliciter dicatur consociationem viri ac mulieris ad stirpem humanam propagandam institutam esse.

N. 13. In linn. 25-26 adest dictio quae forte est parum clara: « ... supplemento animae indiget ... ».

N. 16. « Ut ea ipsa relatione constituatur »: cum constitutio haec pastoralis etiam ad eos qui scholastica theologia vel terminologia ieiuni sunt ordinetur, haec assertio fortasse deberet clarius exprimi vel saltem quibusdam verbis illustrari.

N. 17. *a)* lin. 20, cum contineat verba Divinae Scripturae, debet etiam congrua notula ornari, qua ad textum appellatur. *b)* lin. 26: « eum subsistentem facit » est dictio obscura.

N. 19, linn. 30-38, gravissimum argumentum de pseudo-argumentis atheismi et de veris argumentis religionis brevissime et omnino insufficienter expendit, et quidem in hoc schemate quod, relate ad alia permulta, certe minoris momenti si ad supra dicta argumenta referantur, fuse disserit.

Pendendum est an necessarium vel saltem valde utile sit quod pseudo-argumenta illa ac vera argumenta ipsis opposita, licet presse, exhibenda et illustranda sint. Quoad vera argumenta, unum dumtaxat adducitur, ex multorum martyrio, quod certe momentosum est at unicum et fortasse non omnino irrefragabile ad ostendendam falsitatem atheismi et veritatem existentiae Dei.

N. 20. In toto hoc numero 20 plura dicuntur quae perspicua sunt magno exegetae biblico vel theologo aut patrologo, non autem iis ad quos omnes constitutio haec *Pastoralis* dirigitur. E. g.: *a)* de reconciliatione Deo et inter nos a Christo peracta; *b)* de ereptione a servitute diaboli et a peccato per Christum praestita ... dum homines vulgares vident mundum esse adhuc totum sub diabolo et in peccato ...; *c)* de adeptione vitae aeternae *nonnisi* (lin. 35) per participationem ad passionem, mortem et resurrectionem Iesu, scil. ad mysterium paschale quod in baptismo et *Eucharistia* repraesentatur. Ergo, dicit quis: Qui non recipiunt baptismum et *Eucharistiam* non salvabuntur? Haec omnia sunt difficilia, licet vera dummodo bene explicentur: debent ergo explicari in tanta pastorali constitutione; *d)* de gravissimo doloris problemate, quod in Christo illuminatur: e contra, si res non explanentur, nulli-

mode patet quomodo in Christo illuminetur dolorum massa vel gravitas quae praesertim ab innocentibus sustinetur etc.

N. 24, lin. 26 non est clarum an verbis « ad vitae privatae protectionem » includatur protectio tempore aegritudinis et senectutis. Si de facto duo haec summi momenti illis verbis non includuntur, videntur addenda, post verba « habitationem ». Videndum insuper est an *ibi* addi debeat, inter hominum iura, ius ad congruentem institutionem seu culturam.

N. 27, lin. 32, post « senex » inserendum videtur: « vel invalidus, vel aegrotus, vel parvulus ».

N. 27, linn. 9-10 legitur aliquid mirum, quod despectivum videtur erga religionem catholicam, et quod non admodum congruit cum contextu. Legitur enim: « Item reverentia pro persona exposcit ut “ ad amplectendam fidem catholicam nemo invitus cogatur ” ».

Transeat si dicatur: « ad amplectendam *quamcumque cultus formam* ». Cur ergo dicitur tantum: « fidem *catholicam* »? Numquid quis potest invitus cogi ad amplectendum protestantismum ...?

Insuper perpendendum an locus ab linn. 9 ad 14 bene sit exaratus et an sit bene connexus cum praecedentibus et in seipso.

N. 29. Licet lin. 28 sermo sit, in genere, de « omnibus » inimicis, tamen non incongrue addenda esset quaedam specificatio, ne quis de facto textum intelligat de consuetis « personalibus » inimicis. Explicite ergo, praesertim hodie, nominandi videntur inimici veluti « sociales », ut sunt adversarii *intellectuales, politici* interni et externi (scil. pertinentes ad alias factiones vel exercitus), *spirituales*.

N. 30. Inter haud pauca elementa theologica quae in hoc schemate desiderantur, et in illud inserenda videntur, adest procul dubio *redemptio*, de qua hic sermo omnino fieri debet, cum sit unum e potissimis fundamentis aequalitatis inter omnes homines. Unde, lin. 4, post « ad imaginem Dei creati », addendum est: « omnesque praetioso Christi *sanguine redempti* », vel alio modo, servata tamen huius summae veritatis substantia.

Insuper, lin. 8, inter discriminandi modos, addendus videtur: « aut *culturalis* (vel: *religiosus*) », quia et de religione statim fit sermo, et quidem iure.

Tandem, lin. 13, extollitur aequalitas inter virum et mulierem. Considerandum tamen est textus vulgatissimos Pauli ad Corinthios et ad Ephesios loqui de viro tamquam de *capite*, de femina tamquam de reliquo corpore, comparisonemque inducere inter Christum (Deum) et Ecclesiam (creaturam). Bene ergo perpendantur quae ibi dicuntur, et videndum an sufficiat considerationem simpliciter addere de « indole complementari ».

N. 31, linn. 1-5, cum Paulus invocetur, addenda est citatio.

Nn. 35-36. Cum sermo est de fundamentis theologis vitae socialis ac de unione Verbi ad humanitatem, vel omnino praetermittuntur vel subobscurae admodum innuuntur veritates quaedam theologicae summi momenti:

1. Vix aut ne vix quidem illustratur imago Dei, scil. SS. Trinitatis, in vita sociali: dum econtra omnis vita socialis, seu omnis societas deberet esse

reproductio terrena Trinitatis caelestis. Caput esse deberet velut pater, omnes deberet tractare ut filios, ac inter omnes vigere deberet amor omnes ad unum redigens, omnesque ad agendum ad intra et ad extra impellens.¹

2. Fortasse nihil omnino hic dicitur aut innuitur *de Corpore Christi Mystico*, in quo omnes (licet non eodem modo) sunt unum cum Christo et cum fratribus, et aliquantulum cum ipso cosmate, vel saltem ad talem unitatem vocantur et suaviter fortiterque impelluntur.²

N. 37, linn. 1-5 indicantur quaestiones et problemata ac lin. 6 asseritur ea « pro omnibus hominibus ... *perobscura* ... » remanere. Numquid vox illa « *perobscura* » est exaggerata? Etiam posita revelationis luce, omnia illa remanent « *perobscura* »? Fortasse verum est, at bene est perpendendum.

Nn. 38-47. Multa quae his nn. 38-47 continentur non videntur bene ordinata et consequenter illa forsitan carent perspicuitate, tantopere optanda.

Sic, n. 38, iterum fit appellatio ad doctrinam de imagine Dei, et nullimode aut parum aut modo umbratili ad doctrinam *de intima ad Deum-hominem unione*, seu de Incarnatione, Redemptione, Corpore mystico, Baptismate, Eucharistia, etc.

Quis fortasse respondet n. 38 sermonem versari circa quoslibet homines, etiam non christianos: at cur n. 39 incipit per verba: « Christiani itaque ... »? Et, de facto, in fine n. 39, sermo de Christo est, licet sine perspicuitate.

Plura, insuper, his nn. 38-47, vix apparent inter se connexa: unde textus debet multoties legi, cum spe adveniendi ad quandam intellectionem: quae spes haud raro frustratur.

N. 38, lin. 34: non videtur clarus assertionis, extra suum contextum biblicum, sensus: « Deus autem noluit ut vacua essent sapientiae suae opera ».

Linn. 35-36: fortasse magis consulto loquendum est de *matre et patre* et non de sola matre, eo vel magis quod sola mater vix valet validam personalitatem (plenam) liberorum efformare, ut patet in liberis qui sine patre, una alterave de causa, creverunt.

N. 40, lin. 17, post « qui » fortasse addi debet: « omnes illustrat et omnibus vires suppetit (quique omnia ... »).

Lin. 20: Nonne melius esset dicere « Deus Revelationis » quam « Deus Sacrae Scripturae »? cum omnino certum non sit universam fidem (« fidei adversabuntur ») in una Scriptura contineri.

Linn. 30-32 nonne possent, absque ullo inconveniente, omitti saltem quoad verba: « neque errores exclusive catholicorum fuerunt ». Consequenter, « doleamus » deberet transformari in: « dolendum est ... adnitendum ... ».

Lin. 40: inserenda est citatio, quoad illum illustrem indium, nisi sit effatum populare.

Lin. 1: loco « sed » poni posset: « licet forsitan ».

¹ Cf. C. M. BERTI, O.S.M., *Methodologiae theologicae elementa*, Desclée, 1955, pp. 79-92 et alibi passim.

² Cf. etiam animadv. ad n. 30 (de Redemptione).

N. 42, linn. 16-17: Estne vera et accurata, prout sonat, illa lex: « ... actiones hominis diiudicandae sunt quatenus ad hominis incrementum conferunt? » Si diceret textus: « ad plenum ... » vel « ad perfectum » vel saltem: « ad verum ... », stare posset.

Lin. 33: « his in terris » facultates nostrae possuntne, licet a Spiritu Sancto, *penitus* transfigurari? Hoc accidere poterit in quibusdam Sanctis, qui ad unionem transformantem, seu ad nuptias mysticas devenerunt, at non in quibuscumque hominibus, licet christianis etc.

N. 43, linn. 2-3: en forsitan omnia quae de corpore mystico dicuntur in toto hoc capite!

N. 44. 1. Laicus qui hunc numerum pastorem leget, forte non multum illum intelliget: econtra, cum de re difficili at pulchra agatur, fortasse deberet melius illustrari.

2. Nonne apte huc introduci deberet id quod Ecclesia praestat, in his terris, ad hanc renovationem per quaedam Sacramenta et quaedam *Sacramentalia*?

N. 45. Numerus iste continere videtur plura, sit venia verbo, « vaporosa ». Quid significat, praesertim pro laico legente constitutionem pastorem, quod « ... Spiritus Dei ... *omne genus humanum* ... totum universum ad Christum attrahit »?

Qui res conspicit absque euphoria, videt omne genus humanum trahi *ad peccatum*, ad carnalia, ad pecuniam, ad superbium dominatum, ad peiora cotidie, saltem quoad multos et multa. Nonne hoc lugentes conspiciunt animarum pastores? Quid ergo significat « omnia ad Christum trahi »? Non dico hoc esse falsum, at hoc indigere vel delimitatione vel explicatione.

Omnes illae citationes biblicae sunt certe pulchrae, at videntur « affastellate », et possent per alias praetermissas obscurari: cf. de iudicio universali cum inferno aeterno pro iis qui bona opera non praestiterunt ...; item cf. ea quae de pusillo grege et de paucis electis pariter in Evangelio dicuntur.

N. 46. Etiam numerus iste continere videtur « vaporosa ». Linn. 29-35 videtur exaggerari, sicut et in schema de libertate religiosa, libertas quam Deus et Christus dat.

Nam Dominus Iesus non semper mitissime stetit ad corda et pulsavit, sed aliquando clamavit et percussit et subvertit, sicut se gessit cum vendentibus in templo. De hoc aliisque, hic et in schema de libertate religiosa, semper servatur altissimum silentium.

Insuper, per Ecclesiam, inde ab apostolis, non tantum solvit sed et ligat, denegatione veniae et poenis in hac vita (et in altera vita).

Tandem estne universaliter verum, ante et praesertim post Christum, Deum pure hominem relinquere in manu consilii sui? Nunquid simpliciter dici potest superiores nos relinquere in manu consilii nostri ...?

Quis laicus dicet: Deus liberos nos relinquit, et tamen facit ... id quod vult ... aegritudinibus, variis flagellis, morte temporali et aeterna ... Estne plene liber filius cui a patre dicitur: « Si non studebis, proiciam te e domo » ...?

N. 47. Quae dicuntur sunt pulchra, at textibus biblicis extra contextum positus, oratoria videntur.

Quomodo dici potest, absque evidenti exaggeratione, et lugenda realitate, Christum esse plenitudinem adspirationum *omnium* cordium? Utinam hoc esset!

Conclusio: totum ergo hoc caput, praesertim quoad elementa theologica, debet ditius fieri, expoliari ab exaggerationibus omniaque debent valde ordinatius proponi et omnimoda perspicuitate, etiam pro laicis, disponi.

N. 49, lin. 19. Addendum videtur: « ad Dei Patris gloriam » ac legendum: « Unicus finis propter quem vivit, est, ad Dei Patris gloriam, Christi propositum exsequi ... ». *Ratio est*: quia ut legitur in oratione Domini nostri Iesu Christi summi atque aeterni sacerdotis, cuius munus Ecclesia prosequitur, duplex est finis vitae Christi, ideoque et Ecclesiae, nempe gloria Dei et mundi salus, qui alter finis ordinatur ad priorem.

Lin. 32. Aliquid addendum videtur, ac legendum: « ... Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit, eumque incarnationis mysterio arctius sibi copulavit ac dein pretioso Filii sui sanguine redemit, his ... ».

N. 50, lin. 10. Fortasse loco: « novissimis temporibus » dicendum: « cum temporum plenitudo advenisset ». *Ratio est*: quia « novissima tempora » bene dicebantur per respectum ad saeculum quo Novum Testamentum fuit conscriptum; nunc vero, pro nobis ac populo nostro ad quem sermo dirigitur, illa tempora iam sunt « antiqua » et nullimode novissima. Legi igitur posset: « Deus enim qui, cum temporum plenitudo advenisset, in Verbo Incarnato se revelavit ... ».

N. 53, linn. 34-42. Fortasse sunt satis emendandae, sive ut res maiori decore proponantur, sive ut potius in forma positiva quam negativa exhibeantur, sive tandem ut dictio illa removeatur valde difficilis intellectu: « propria negotia in se recipiant ».

Locus, talibus alineis interclusus, ita ergo emendandus videtur, ut clare dicatur Ecclesiae Pastores, per seipsos aliosque ecclesiasticos viros apprime peritos, sedulo adlaborare debere ut, sub magisterii ductu ac Spiritus Sancti afflatu, in dies latius profundiusque divinos humanosque fontes perscrutentur, sicque quaestionibus, etiam novis gravissimisque, prae viribus perspicuum suasivumque praebeant responsum.

Ipsi autem laici, dum has a pastoribus eorumque primis cooperantibus talium problematum solutiones quaerunt ac petunt, ne ab illis immediata exigant responsa, at potius humili ad Patrem luminum precatione, suaque scientia et experientia, suorum pastorum aliorumque sacerdotum validi adiutores fiant: laici, enim, sunt et ipsi verissima illius Ecclesiae membra, quae secundum se totam sicut et Christi Sponsa est, ita et mater atque magistra.

N. 55, lin. 8. Loco: « peculiariter eorum auxilio indiget qui viventes in mundo, varias institutiones ... » videtur simpliciter dicendum: « peculiariter laicorum auxilio indigent ... ». *Ratio est*: nam Dominus rogavit Patrem

ut Pastores non tolleret de mundo (ergo et ipsi vivunt in mundo!) sed ut servaret eos a malo (cf. *Mt.* 10, 16; *Lc.* 10, 3; *Io.* 17, 15).

N. 56, linn. 29-30: Fortasse sunt emendandae ut, relicto loquendi modo antiqui Foederis, novi Foederis dictiones assumantur ideoque loco: « populi ad terram promissam peregrinantis » dicendum videtur: « populi ad caelestem gloriam promissam peregrinantis » (cf. *Lc.* 24, 26), vel alio aptiori modo.

Linn. 31-32: Bene perpendendae sunt, ne, ut dicitur ad n. 58, Ecclesia, ex ipso nostro ore, iterum iterumque probro afficiatur. Ideoque in linn. 33-34 videndum est an simpliciter dici debeat Ecclesiam apparuisse quibusdam rugis maculatam. Melius enim videtur semper dicere Ecclesiam, in terris peregrinantem, quoad nonnulla membra eius, quae esse poterunt etiam permulta, rugis fuisse aut esse maculatam. Linn. vero 36 ad 2 sequentis paginae fortasse magis consulte auferri deberent, nam omnes omnino homines sciunt et scribunt et proclamant membrorum Ecclesiae infirmitates et non est necesse ut nos ipsi ea comprobemus, atque brevitate sermonis veluti exaggeremus (« generalizziamo »).

N. 58, linn. 21-22. Loco: « non obstantibus propriis infirmitatibus ... » dicatur: « non obstantibus quorundam membrorum suorum infirmitatibus ... ». *Ratio* est: ne tota Christi Ecclesia, etiam ex ore nostro, iterum iterumque veluti probro afficiatur. Ex eo enim quod quaedam membra putrida fuere aut sunt, nullimode sequitur universam Ecclesiam, cuius sanctissimum caput est Christus et paene innumera complectitur membra, in caelis et in terra atque in purgatorio (una enim prorsus est Ecclesia), sanctitate micantia, esse infirmam.

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN IV
PERIODUS QUARTA

PARS III
CONGREGATIONES GENERALES CXXXVIII-CXLV



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII

EXC.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. null. Acrensis et Puruensis

N. 60, linn. 18-23: conspectus rerum quae matrimonium et familiam in mundo hodierno respiciunt vel incompletus est vel non satis clarus. Cur, loco dictionum « fallacibus formis », « erotismo », « hedonismum », « egoismum », non ponuntur dictiones perspicuae, quae hodierna mala dilucide, et pro omnibus etiam rudibus, ut constitutionem *pastoralem* decet, expriment? Cur ergo, clare, non fit sermo de libero amore, de inhonesto et praepropero nupturientium (fidanzati che si comportano come sposi) se gerendi modo, de nimia nuptiarum retardatione, de nuptiarum contractione ob motiva inhonesta aut mere caduca, de inhonesto coniugum inter se sese gerendi modo, de vulgatissimo more amantem vel amantes praeter proprium coniugem possidendi, de matrimonialis vinculi disruptione vel de facto vel etiam de iure per adprobatum lege civili divortium, deque tandem ipsa polygamia.

Haec igitur, et alia quoque fortassis, clare, licet presse, recolenda et comploranda sunt, ut universi homines, ac maxime christifideles, sciant quid Ecclesia mater reprobet atque prae viribus avertenda cupiat.

Ideoque, ut Constitutio fiat non mere doctrinalis sed et vere pastoralis, numerus iste 60 profunde recognoscendus atque aptandus videtur, iuxta praedicta vel alio meliori modo.

N. 61. Numerus iste continet gravissimas assertiones, sed expositas modo qui neminem convincit: exprimuntur enim stylo descriptivo, Sacris Conciliis prorsus inconsueto.

Concilia enim (cf. Trid. de praesentia reali etc.) semper se exprimunt *clarissime indicatis suis fontibus*: perpetua Ecclesiae fides, sensus, sententia; Sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti, et imprimis Evangelium et Paulus; Sacrarum Liturgiarum Orientis et Occidentis concordia (cf. Con. *Sacramentum Ordinis*); Sanctorum Patrum vel universorum sanctorum Patrum consensus; Sancti Spiritus in dies suggerentis actio (cf. Trid. de praes. reali, de Comm. sub utraque etc.); ipsaque humana ratio (cf. Trid. de Satisfactione).

Hic, econtra, gravissimae affirmationes, *de quibus fere universi homines dubitant vel eas prorsus reiciunt*, ponuntur descriptivo modo, absque omni ad fontes validissimos recurso, ideoque absque omni arte et spe convincendi homines ipsosque fideles.

Inter veritates gravissimas quae hic descriptivae et satis involute atque « vaporose » exhibentur, numerantur: divina matrimonii origo, nuptiarum unitas, matrimonii indissolubilitas, sacralitas superaddita per sacramentalitatem.

Quae omnia sunt difficillima probatu et intellectu, sive in se sive ob difficultatum practicarum et denegationum doctrinalium ubique grassantium congeriem atque colluviem.

Et Concilium, in Pastoralis constitutione, ea deberet tantum descriptivae enumerare?

Numerus iste, ergo bene deberet iterum perpendi et totaliter aptari ut fiat theoretice et practice ad animos illustrandos vel etiam pro posse convincendos aptus.

Hoc ut obtineatur, clare *et distincte* exprimi debet quid Deus, incarnatio, cruenta redemptio, ipsa Christi actio (sermo, voluntas, etc.), ipsa Ecclesia ad matrimonium eiusque dotes, fines, iura, officia etc. contulerit, et iugiter conferat.

Secus, fideles clariora efficacioraque inquirent et invenient in Leonianis Pianisque Encyclicis Litteris.

N. 62. Hoc loco, de amore coniugali sermo est *unice* ut de amore *consequente* ad nuptias, licet habeatur fugacissima allusio ad castum amorem inter nupturientes (« casto amore sponsalia... foveant »).

Econtra iam ille antiquus *Catechismus Romanus* (!), aiente nostrae iuventutis magno Pontifice Pio XI (in: *Casti Connubii*), edixerat quod *amor « etiam primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio, consuetudo, societas accipitur »* (cf. DENZ. noviss., n. 3707).¹

Et de facto, si nos omnes pastores interrogamus duos iuvenes: « Carissimi, cur ad nuptias convolare cupitis? », respondebunt: « Quia nos magno

¹ Sicque Amor explicat etiam matrimonium, sicut et omnia. Cf. C. M. BERTI, *Methodologiae theologicae elementa*, Romae Desclée, 1955, pp. 13-17.

mutuo amore diligimus ». Et iterum si nos illos interrogamus: « Sed, postea, quid erit? ». Possent respondere: « Nos, adiuvente Deo, mutuo nos amabimus in perpetuum, amore magno et pleno: amore spiritali, nos invicem sanctificantes, amore psychico, idem simul volentes; amore etiam physico, unum efficientes, ut Dei cooperatores effecti e nobis oriatur nova vita, scilicet filiorum honor et gaudium et corona ». Haec, certe, non erunt exactissima verba quae ex ipsorum labiis fluent, at certe hic erit intimus eorum sensus.

N. 63. In hoc modernae constitutionis pastoralis numero, ne verbum quidem fit de amore sumpto ut ad n. 62 diximus, ac de amoris speciebus, et ut ita dicam *de amore regulante et regulato*.

In quocumque enim divino matrimonio, et maxime divino-christiano, triplicem praestat distinguere, claritatis et efficaciae gratia, amorem, seu eius speciem et gradum: *amorem spiritualem*, orientem scil. ex Dei gratia, ex vera fide etc.; *amorem psychicum*, orientem scil. ex illuminata intelligentia et ordinata voluntate; *amorem physicum*, orientem scil. ex desiderio et facto mutuae unionis corporalis.

Planum est autem inter hos triplices amores, seu inter has triplices amoris species seu gradus, spiritualem esse nullimode regulabilem sed primum regulantem; psychicum esse et regulatum et alterum regulantem; physicum esse tantummodo regulatum seu regulationi subiiciendum. Etenim: *amor spiritalis*, quo adiuvente gratia Dei coniuges, viribus omnibus unitis, Deum, Christum, Ecclesiam diligunt, ac seipsos mutuo amant et perficere conantur, *nulla regulatione subicitur* aut subici valet, sed in indefinitum potest et debet succrescere, donec in aeternum exardescat in Caelis; *amor psychicus*, autem, quo illustrante intellectu et statuente voluntate idem sentiunt et volunt, *regulatione indiget*, *ab amore spiritali* praestita, ut nil sentiant et velint contra sed ut omnia sentiant et velint iuxta Divinam Voluntatem, vel etiam iuxta Christi Ecclesiaeque placita; *amor physicus*, tandem, quo coniuges ad intimam nedum spiritualem et psychicam sed praecise et corporalem unionem rapiuntur, *regulatione indiget*, et validissima quidem atque incessabili, *ab amore* scil. *spiritali simul et psychico*, gratiae Dei nempe et intellectus omnia ponderantis et voluntatis ordinate volentis; quae regulatio spiritalis et psychica semper quidem suadebit vel imperabit augmentum amoris spiritalis et psychici, adlaborabit ut coniuges etiam in unionis corporalis aestu nil contra Dei placitum rectamque rationem praestent, haud raro suadebit aut imperabit ut caste amorem corporalem cohibeant, vel ut nonnisi illis utantur mediis et medicamentis (etiam... pillulis!) quae naturae divinitus conditae prosunt seu illam perficiunt, nullimode quae eidem naturae obsunt seu illam pesumant.

N. 64. Quae ibi dicuntur optima quidem sunt, at stylo potius oratorio prolata, quin pastorales exhibeantur normae vel suggestiones, ad praxim traducendae.

Etiam hic numerus ergo recognoscendus videtur, conclusiones trahendo ex iis quae de triplici amore recolimus: tunc tantum enim coniuges Dominum

vitae venerabuntur, cum fortiter Deum, et maxime Christum Ecclesiamque ac seipsos filiosque amabunt, omniaque intellectu vere illustrato ac generosa voluntate praestabunt, nullimode caeco et veluti bestiali instinctu unice aut potissimum ducti.

Quae omnia, certe, clarissimae exstant conclusiones ex principio de triplici amore sponte dilucideque manantes.

19

EXC.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. Acrensis et Puruensis

Caput istud II partis II, a n. 65 ad n. 74, multa optima procul dubio de cultura humana rite promovenda exponit, at fortasse nimis fuse et stylo, iterum, nimis descriptivo: ideoque, fortasse, quaedam fundamentalia principia veluti occultata manent; alia insuper, pariter magni momenti, fortassis nec adsunt.

Unde ea quae sequuntur deberent non tantum adesse sed et in perspicuo collocari:

1. Aeternus Pater est supremus sapiens, summa sapientia, supremus magister; Filius Dei Iesus Christus, verus Deus verusque Homo, est primus magister visibilis, qui inter homines conversatus est, quique suum magistrale munus cum Ecclesia et in ea et per eam potissimum, immo et cum tota humanitate et in ea et per eam etiam, Spiritu Sancto, licet differenti mensura, afflante.

2. Deus, multis modis seu viis, est omnis veritatis et sapientiae ac scientiae fons; veritas autem seu sapientia et scientia, ipso Deo revelante iam in Veteri pleniusque ac perfectius in Novo Foedere praestita, ac per Ecclesiae magisterium fideliter servata atque sine errore exposita et illustrata, omnes veritates humanitus e creaturis haustas omnesque scientias humanitus elaboratas longe transcendit; at sicut a nulla contradicitur, ita et nullis contradicit, aut contradicere potest.

3. Haec Divina Sapientia per revelationem hominibus communicata, cum de ipso Deo agat ac etiam de creaturis, et signanter de hominibus et prout a Deo descendunt et prout ad Deum iugiter ascendere debent, ideoque illum in tempore et in aeternitate diligere, sicque salvari, non tantum est summa Sapientia, ut dictum est, sed etiam est summe appetenda, ita ut verissimum sit quod « vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei », licet forte in aliis humanitus haustis disciplinis sint peritissimi.

4. Ex hoc supremo Sapientiae revelatae fastigio, et ex concordia huius cum omnibus et singulis veri nominis scientiis humanis atque vicissim, liquido ac necessario sequitur Sapientiam revelatam esse et esse debere, sive inter disciplinas sive in disciplinarum scholis, omnium coronidem, ad quam seu ad cuius assecutionem, profundior penetrationem, lucidior illustrationem, ampliorque in dies applicationem, omnes disciplinae humanitus haustae

et ordinari et conducere debent: non ergo una philosophia sed et omnes scientiae et artes, iuxta b. Augustini in libello *De doctrina christiana* placitum, eidem Sapientiae revelatae iterum famulari debebunt.

5. Ut autem praedicta inter Sapientiam revelatam et scientias artesque humanas lucidius in dies appareat concordia, atque omnis tandem removeatur discordiae seu contradictionis species, necesse prorsus est ut illa et istae a respectivis peritis cum scientifica certitudine, vera profunditate, perspicua claritate possideantur; bene attendendo quod numquam comparatio instituitur inter verum et falsum, inter certum et incertum, inter thesim et hypothesim, inter profundum et superficiale, inter perpetuum et a saeculis collaudatum et inter recentissime inventum et nondum sufficienti tempore subiectum experimento.

6. Cum Dei Ecclesia corpus Christi exstet, qui est Infinita Dei Sapientia incarnata atque omnis sapientiae et scientiae thesaurus et fons, non tantum Sapientiam revelatam sancte servet et fideliter illustret, apte secundum tempora et locos proponat, latius in dies divulget, suaviter fortiterque defendat, sed nullam omnino humanam scientiam et artem putet a se extraneam, quin immo ad se imprimis pertinentem, ideoque per filios suos seu membra sua magis magisque excolat, ut in eis et per eas quoque eluceat Sapientia Dei, atque ut instrumentum evadant sive in bonum ipsius revelata Sapientia sive in hominum sanctificationem ac salutem; quaecumque autem vera et bona extra Ecclesiae septa fuerint adinventata, laudet, foveat et cum gaudio suscipiat, ut etiam concordia in re scientifica unitatem, tantopere a Divino Magistro optatam, promoveat.

7. Ideoque Ecclesia incessabiliter adlaboret, per ecclesiastica et laica sui Corporis membra, immo et per universos qui eidem in re scientifica consociari cupiunt, ut de Sapientia revelata ac de omnibus humanis scientiis floreat atque excitentur cathedrae in Universitatibus, Seminariis, Athenaeis, studia quoque sive scientifica sive ad vulgus destinata, conventus atque congressus: praesertim autem adlaboret ut nova veluti *Summa theologica* praeparetur in qua, recta methodo ac per innumeros recteque ordinatos cooperatores, Sapientia revelata profunde, dilucide, ordinateque exponatur, adhibita *omnium scientiarum luce* (et non tantum philosophiae), semper ostendendo in quibus elementis omnes catholici, omnes christiani, omnes in Deum credentes conveniant, sicque iterum sternatur et complanetur via ut omnes unum sint, iuxta optatum Domini Iesu.

Exc.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. Acrensis et Puruensis

Angustia temporis oppressi, nam de repente nuntiatum est novissimum iam diem advenisse quo animadversiones exhiberi queat, nonnisi summa quaedam animadvertam circa utrumque hoc caput:

1. Materia quae exponitur certe est egregia et auctores probe peritos manifestat; at est potius doctrina ethica atque socialis: vix enim apparet quomodo affirmationes ex illis procedant doctrinae revelatae principiis, cuius Ecclesia alma custos est et magistra.

2. Illa autem quae in fine cap. III, n. 85 et in fine cap. IV, nn. 88 et 89 dicuntur, potius iuxtaposita videntur, quam totius expositae doctrinae origo et corona.

3. Ideoque, etiam in his 2 capitibus, praemitti aut saltem apte perspicueque exhiberi deberent principia revelata, ostendique quomodo summe ac praesertim ex iis universae conclusiones, principia secundaria, et applicationes descendant, assumptis procul dubio etiam elementis ex humanis disciplinis ad Revelationem illustrandam, extendendam, applicandam.

4. Haec vero summa principia ex Revelatione hausta potissimum esse videntur quae sequuntur:

a) Omnium hominum communis a Deo Patre creatore *origo*, quae omnibus hominibus, iam *creationis titulo*, quamdam confert filiationem, utique omnibus aequalem, ideoque et fraternitatem inter se ac amorem Patris erga universos filios secumfert, omnium autem fratrum inter se et erga Deum amorem exigit: qui amor ipsam regulare debet humanam libertatem, ut omnis homo bono individuali, oeconomico, sociali, politico nullimode noceat, sed illud in dies promoveat.

b) Filii Dei Iesu Christi *incarnatio*, vi cuius totum humanum genus, omniaque proinde eius membra, incomparabiliter evecta sunt et assecuta, praecise incarnationis titulo, novam nobilioremque dignitatem atque destinationem, nam ad fraternitatem cum ipso Deo sublevata sunt, ideoque in eo et inter se iam plenior perfectioremque obtinent unitatem, cum universis inde scatenibus consecrariis.

c) Cruentia ipsius humani generis per Filium Dei Iesum Christum *redemptio*, cuius *redemptionis titulo* universi homines novam adhuc altioremq. assecuti sunt ad Deum pertinentiam, cum officio tamen se Christo Deo et fratri patienti conformandi in terris, crucem quoque ferendi, se a servitute diaboli et peccati iugiter liberandi, similisque liberationis instrumentum fieri erga universos fratres sicque se et alios ad ingrediendam Dei gloriam in caelis disponendi.

Exc.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. Acrensis et Puruensis

Nn. 90-106. 1. Quae advertimus et facienda desideravimus quoad cap. III et IV, hic feliciter videmus impleta; nam dum in cap. III et IV non praemittebantur principia revelata et ipsorum influxus vix manifeste apparebat in expositionis decursu, hic contra, nempe in capite quinto et conclusione, haec revelata principia dilucide praemittuntur et incessabiliter, expositionis decursu, ad memoriam revocantur.

2. Inter omnia huius pastoralis constitutionis capita, hoc cap. V partis II, primum, ratione doctrinalis perfectionis, lucidae perspicuitatis et caritatis veluti flammantis, obtinet locum. Immo sub iugi et manifesta Sancti Spiritus illustratione atque impulsu conscriptum videtur. Laudetur ergo divinus magister eiusque dociles validique cooperatores!

3. In re de qua caput disserit peritissimi, fortasse nonnulla addenda aut elimanda invenient: at, meo humili iudicio, etiam prout in omnibus sonat omni laude est dignum.

Exc.MUS P. D. BERNARDUS M. CAZZARO

Episcopus tit. Pyrgensis, vic. ap. Aysénensis

In cap. V secundae partis, relate ad bellum haec est mea humilis sententia:

a) Simpliciter declaretur illicitum, per se, omne bellum, ablatis distinctionibus quae sunt in textu. Etenim bellum est in societate quod rixae et contentiones in individuo. Quae omnia sunt « opera carnis », ut tam clare docet apostolus ad Galatas (5, 15-21). Immo bellum est veluti acervum huiusmodi operae.

b) Pressius indicetur: defensio omnium iurium apud organismos internationales sit.

c) Concilium nostrum genuinam mentem Iesu Salvatoris exprimere tenetur. Ille enimvero docuit dimittere « septuagies septies » (Mt. 18, 21-22) fratribus peccantibus, et in Oratione dicere: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris » (Mt. 6, 12). Hoc valet pro singulis et pro omnibus, etiam pro nationibus. Si huc nondum pervenimus, non est ex natura rei, sed ex duritia cordis nostri.

Si haec positio accusaretur ut « pacificista », totum Evangelium mereretur similis accusatio.

d) Ceterum: Maximum ius hominis est ius vivendi. At quodcumque bellum, nostris praesertim temporibus, ad tuenda alia iura minora, pessumdat illud maximum ius vitae. Dat enim locum vehementissimae irae, quae subvertit rationem et ducit ad transgressionem mandati Dei: « Non occides ».

e) Concilium dicat mundo quod iam dixit, per Personam Summi Pontificis et coetum Patrum conciliarium qui Eum comitabantur, in consessu Nationum Unitarum (O.N.U.) Neoeboraci die 4 oct. vertentis anni. Alioquin textus noster erit vetus antequam nascatur.